

8815

1770, 30.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
PATRI VSVSFRVCTVS ADI-
MI POSSIT IN FILII ACQVISITIS
EX HEREDITATE AVIAE
MATERNAE

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO
IN AUDITORIO PETRINO
DIE IV. AVGUST. ANNO CIOIOCCLXX.
DEFENDET
ADAMVS CHRISTOPHORVS LOEW
ALLERSTAED. THVRING.

LIPSIAE
LITERIS RVMPFIIS.



AN

PATRI VSVSFRVCTVS ADIMI
POSSIT IN FILII ACQVISITIS EX HE-
REDITATE AVIAE MATERNAE.



§. I.

Cum antiquo iure quidquid acquirerent liberi, id patri acquirent omneque peculii genus vnum eset, vix vnquani videtur disceptatum fuisse vel adeo disceptari potuisse, an patri vhusfructus adimi possit, cum omne acquisitum tanquam proprium ex antiquissimo patriae potestatis iure acquireret. At postea probata diuersitate peculiorum, videamus, an conueniat iuribus, ut patri vhusfructus in rebus bonisque liberorum adimi possit.

A 2

§. II.

§. II.

De peculio castrensi atque quasicastrensi, in quibus et proprietatem et vsumfructum et administrationem filii habebant, patres vero ex eo nihil acquirerent, nihil est, quod moneamus. Neque de eo, quod profectum appellatur, in quo omne ius antiquum patris saluum manebat, queri protest, an vsumfructus patri adimi possit. Cum enim ipse acquirat, nemo eidem vsumfructum adimere potest. Superest itaque, ut de peculio aduentio dicamus.

§. III.

Tritum est, iure Pandectarum *aduentitium* ignorari peculum atque primum CONSTANTINVM M. in L. 1. et 2. C. Theod. de bonis matern. et L. 1. C. Iust. de bonis matern. originem cepisse, cum statueret Imperator, ut bonorum maternorum vsumfructum haberet pater, proprietas liberis maneret. Post extensum est ab ARCADIO et HONORIO in L. 2. C. de bonis mat. ad ea bona, quæ *auius*, *auiia*, *proauius*, *proauiia* ex materna linea venientes, *nepoti*, *nepti*, *pronepti*, *pronepti testamento*, *fideicomisso*, *legato*, *donatione*, vel alio quolibet titulo largitionis, vel etiam *intestati successione* contulerint. Dein THEODOSIVS atque VALENTINIANVS in L. 1. C. de bonis quæ liber, eandem iuris sanctionem approbarunt in bonis quæ *vxor marito non emancipata*, vel *maritus vxori in potestate posita* quocunque titulo vel iure contulerint, scilicet ut vsumfructum tantum habeat pater, proprietas liberis maneat. Post LEO et ANTHEMIVS in L. 5. C. de bon. quæ liber, ad bona, quæ ex sponsalibus manant, idem ius adplicarunt interpreta-

tio-

tione extensiuā. Tandem IUSTINIANVS in *L. 6. C. de bon.*
quae liber. generaliter constituit, ut omnium bonorum
aduentiorum proprietas liberis conseruaretur, vſiſtru-
ctu duntaxat ad patrem transeunte. Hæc ita lute Co-
dicis.

§. IV.

Denique IUSTINIANVS in Novell. CXVII. cap. I.
exceptionem suae legi generali posuit. Ordinavit enim,
vt licentia sit matri et auiæ alisque parentibus, postquam re-
ſiquerint partem, quæ lege debetur: quod reliquum est suæ sub-
ſtantiae, sive in ſolidum voluerint, ſive in partem, filio vel
filiae, nepoti vel nepti et deinceps deſcendentibus donare, aut
etiam per ultimam relinquere voluntatem, ſub hac definitione
atque conditione, ſi voluerint, vt pater aut qui omnino eos
habent in potestate in hiſ rebus neque vſumfructum neque quod-
libet penitus habeant participium. Praecepit praeterea Imper-
ator, vt omni personæ idem licet. Haec per ſe clara,
nec egent interprete. Quapropter, ſi ad quaefionem
noſtram respicimus, an videlicet patri vſusfructus adimi-
poffit in filii acquisitiſ ex hereditate auiæ maternæ facillima
et certifima erit reſponsio.

§. V.

Diftinguenda enim omnino ſunt illa ex auiæ mater-
nae hereditate acquisita filii bona. Aut continent ip-
ſam quae nepoti debetur legitimam, aut conſiſtunt in
aliis bonis, quae nepos praeter legitimam conſecutus
eft. In iis bonis, quae legitimam conſiſtunt, nemini
ius eft, patri vſumfructum adimendi ob verba cit. nov.

A 3 poſt-



postquam reliquerit partem, quae lege debetur. In reliquis vero bonis auiae liberum erit, auferre patri *vsumfructum* horum aduentitorum atque prohibere, quominus pater his bonis vtatur fruatur. Nec dubitandum est, hanc distinctionem in foro obseruari, quod coniicio ex autoritate rei iudicatae apud MENCKENIVM in *Theor.* et *Prax.* panded. Lib. XV. Tit. I. § II.

§. VI.

Quod si itaque nolit auia, vt pater fruatur atque vtatur bonis, quae ex sua substantia ad nepotem peruenientia sunt, absque dubio expresse prohibere debet, imo nisi illa expressa adsit prohibitio, in dubio lege standum erit, quae patri in bonis liberorum *vsumfructum* concedit. Coniicio ex verbis novellae hac *definitione atque conditione*, quippe conditiones nunquam subintelliguntur, nisi claris verbis expresiae. Videntur tamen LUDOVICI diff de tacita prohibitione *vsumfructu patern.*

§. VII.

At magis dubia erit quaestio, an tacite possit admire *vsumfructum* patri auiae materna in bonis ad nepotem peruenturis. Neque negabo, posse et in bonis praeter legitimam relicitis, si finem certum statuat, in quem impendendi sunt fructus ex illis aduentitiis bonis prouenientes. v. c. Si auia relinquat nepoti titulo legati tria millia, vt ex vsuris huius elocatae pecuniae collectis nepoti coematur bibliotheca, quo possit studiis incumbere. Nihil dubii erit, cum quis finem liberalitati statuere possit, multo magis auiae id licere posse, vt *vsumfructui* finem aliquem definit, neque tunc patri competere potest.

poterit vſusfructus, sed potius ademtus videbitur. II.
Si vſumfructum pecuniae legatae alii reliquerit, quo
facto et ademtus ipsemnet videtur patri. v. c. Si auia ne-
poti leget tria millia, matri vero huius pecuniae vſum-
fructum reliquerit, quod vtique auia poterit, dubium
non est, et hic patri vſumfructum ademtum videri, cum
testatrix voluerit, vt mater ea pecunia vtatur atque
fruatur.

§. VIII.

Sed iam dubia quaestio erit, si auia tacite ademerat
patri vſumfructum, an, si finis in quem impendendus
fuerat vſusfructus, cesset vel inutilis fiat, vel ea persona
moriatur, cui vſusfructus relictus erat, an et tunc adem-
tus haberi possit patri. Posset quidem praesumi, no-
luisse auiam, vt pater habeat vſumfructum, et cum semel
ademtus sit, cessante licet fine vel mortua vſusfructuaria,
ex praesumpta illa voluntate vſumfructum ad patrem
reverti non posse; nihilominus tamen in contrariam
sententiam prior sumarbitrorque cessante fine, in quem
fructus impendendi, vel mortua matre vſusfructuaria,
vſumfructum eorum bonorum ad patrem peruenire. Ex
eo enim, quod auia disposuerit, velle se, vt fructus ad
certum finem impendantur; concluditur: si ille finis
obtineri nequit, cessare ipsam dispositionem et tan-
quam purum legatum; considerandum itaque necesse est,
vt communi iure illa bona aestimanda veniant. Et si
personae vſusfructus relictus est, tacite legato huic in-
est conditio, quoisque vſusfructuaria vixerit. Quod si
vero nihil disposuerit auia, ad quem vſusfractae veniant mor-
tua vſusfructuaria matre, cum cesset seruitus illa perso-
nalis



nalis vſusfructus constituti, ad naturam aduentitii ſimplicis
veniant peculi neceſſe eſt, quod nulla adſit amplius prohi-
bitio auiae, quominus pater vtatur fruatur. Malebat potius
auia, vt mater frueretur, quam pater. Ceffat ergo haec in-
tentio, ſi mater mortua, et iam nulla ſupereſt cauia,
cur ad patrem venire vſusfructus nequeat. Neque vero
morientium voluntas in praecuditum tertii eiusque iuris
quaefiti eſt interpretanda. Fieret hoc, ſi patri ademtuſ
haberetur vſusfructus praeter exprefam ſpeciem. Vo-
luit teſtratrix, vt mater vtatur fruatur, patri competit ex
lege ius vtendi fruendi, voluntas teſtraticis impedit, quo
minus vtatur fruatur: moritur mater, ceffat ergo impe-
dimentum propter quod vti fruiue non poterat: redeat
ergo ad patrem vſusfructus remoto impedimento neceſſe
eſt.

T A N T V M .



VD18

ULB Halle
007 208 200

3



B.I.G.

Black

8815

1770, 30.

8

7

6

5

4

3

2

1

0

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

QVAESTIO

IVRIS CONTROVERSI

A N

PATRI VSVSFRVCTVS ADI-
MI POSSIT IN FILII ACQVISITIS
EX HEREDITATE AVIAE
MATERNAE

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBV RG.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE IV. AVGUST. ANNO CICICCLXX.

DEFENDET

ADAMVS CHRISTOPHORVS LOEW

ALLERSTAED. THVRING.

LIPSIAE

LITERIS R V M P F I I S.

